

† R. P. Georgius Kaiser (1867-1929).

(*Vice-Propinc. Parisien.*).

R. P. Georgius Kaiser in Rahling, dioecesis Meten., d. 13 Februarii a. 1867 natus est. In Pont-à-Mousson, quo parentes franco-germanico bello 1870 sese contulerant, magnam exegit infantiae partem. Adhuc puerulus nostrae Provinciae iuvenatum, tum (Oct. 1879) in Contamines situm, ingressus, ibi mentis ingenuitate, acri ingenio, placida indole atque docili, pietate vera, non incerta caelestis ad vitam religiosam vocationis omnibus indicia praebuit.



Die 8 Sept. a. 1885 sancti Alphonsi veste indutus, Magistro R. P. Zephyrino novitiatum incepit, in collegio nostro Stratum Hollandiae, unde anno insequenti ad eandem diem in studentatum Dongen (Holl.) profectus est. Inde a primis diebus, cura pietatis perficiendaeque spiritualis formationis minime neglecta, disciplinis ecclesiasticis omnibus perdiscendis, altissimisque praesertim s. theologiae quaestionibus investigandis acerrimo studio et indefessa opera incubuit. Angelicum magistrum et doctorem sibi assumpsit, quem quoad vixit, singulari prorsus amore prosecutus est.

Sanctorum quoque Patrum lectioni ac studio navavit operam: quorum librorum scientiam adeptus est minime vulgarem, maxime divi Augustini, quem iam ex eo tempore patronum sibi constituit.

Sacerdotio d. 4 Oct. a. 1891 in ipsa domo studiorum est insignitus. Sequenti anno, curriculo studiorum expleto, se a Superioribus ad missiones Aequatoris destinatum esse cognovit.

Galliae mense Iulio a. 1892 valedixit atque navem conscendit, ipsum sociosque Patres Houel et Dupont in plagas Americae delaturam. Riobambam d. 13 Augusti pervenit; sed mense Novembri subsequenti anni in domum nostram Conchensem translatus est, scholasticorum aequatoriorum sex munus professoris suscepturus.

Sed cum scholastici sex mensibus post ad studiorum domum S. Iacobi (*Santiago-Chile*) migrassent, R. P. Kaiser in collegium Riobambense remigravit, ibi peracturus secundum novitiatum. Hoc solitudinis tempore serio maximeque diligentia sese in apostolatam praeparavit, humilium praesertim, quos Iesu Christo lucrificandi quasi fame urgebatur. Contiones ea

intentione composuit, ut rudium captui consuleret, omnibusque sua dicendi ratio penitus aperta esset atque perspicua.

Itaque indefesso labore eo pervenit, ut mense Ianuario a. 1895, sub fine scl. secundi novitiatus, copiosum et contionum et instructionum, ad munus apostolicum incipiendum, repertorium sibi comparatum haberet.

Cum primum vero neomissionarius cum auditoribus communicare contendit, scopum sibi propositum scriptis contionibus minime se assecutum esse experitur; contionandi nempe rationem non esse veram deprehendit, eam videlicet quae contionatori cum auditore communicare permetteret; atque fructum tantis laboribus partum flammis conburendum tradere non dubitavit.

Itaque contionibus iterum nova ratione componendis operam dedit. Studiose et assidue laboravit, ut ad contionandum more Alphonsiano simplici ac populari perveniret; improboque labore is evasit apostolus, quem ob dicendi modum clarum et apertum orationemque inflammatum omnes, et rudes et docti, libenti animo audirent. Praeterea, cum P. Kaiser Dei verbum digna veneratione pertractaret, suae rationi contionandi novam vim et robur in dies addere non cessavit summa illa diligentia, qua sese ad munus exercendum praeparabat.

Magnam sane ex sanctorum Patrum comparata notitia utilitatem afferebat in doctrina populis explananda; atque audientibus omni, qua poterat, industria, similitudinibus ex ipsorum vivendi more depromptis, sententias suas reddere obvias et tanquam sub oculis ponere satagebat. Ut insuper doctrina prorsus utilis evaderet optatosque ferret fructus, ipse audientibus, quomodo in praxim eam deducerent, prudenti caritate ostendebat.

Die 21 Ianuarii a. 1895 R. P. Kaiser Concham profectus est, ibi ad finem usque vitae continuo permansurus. Per triginta quinque annos, praeter breve intervallum quo creditus est ei Fratrum laicorum novitiatus, immensae dioecesis Conchen. partes omnes circumquaque peragrarere non destitit. Non paroecia fuit, non viculus, qui careret eius apostolatus beneficio. In morbum nunquam incidit, qui viribus vel quidquam demeret vel labores apostolicos interrumperet.

Ad extremam usque vitam patientia eius atque in ferendis laboribus fortitudo confratrum admirationem commovebat; quibus etiam sese exhibebat perfectum missionarii SS. Redemptoris exemplar, qui nullam haberet curam valetudinis, nec quidquam privationibus, molestiis, omnigenisque incommodis, quibus vita missionariorum abundat, levaminis afferri quærerent.

Inde ab apostolici muneris initiis Pater Kaiser eo pervenit popularitatis, ut non modo nominis fama ubique in regione percrebuerit, verum etiam omnium corda sibi devinxerit. Tantaque benignitate, comitate et clementia cum egenis agebat et miseris quibuscumque, ut maxima cum

fiducia omnes ipsum adirent; et licet omnibus a se aliquid petentibus satisfacere non esset in eius potestate, nullum tamen a se prius dimisit, quam paterno saltem alloquio esset afflictum consolatus.

Laboriosi missionarii popularitas non erat minor Conchae quam in Azuayensis provinciae paroeciis. Nemo enim erat qui partem aliquam in eius amicitia non haberet; ne illi quidem, qui ob perversam circa religionem sentiendi rationem a paterna eius sollicitudine excludi videbantur. Hac gratia uti zelans Redemptorista haudquaquam negligebat. Illos sermonibus tam oportunis alloqui solitus erat, ut non pauci, secum de rebus aeternis serio recogitantes et in mortis articulo constituti, facili cum fiducia Patrem amicum acciverint ad conscientiam cum ipso communicandam. Itaque factum est, ut Pater Kaiser insignes ex id genus hominibus conversiones obtinuerit.

Carissimus Pater Kaiser die 23 Sept. a. 1929 in litteris datis confratri scribebat: « Transacto festo sancti Michaëlis, annua mea exercitia peracturus sum. O beata solitudo, o sola beatitudo! Postea ad missiones exeundum mihi est in finitimis Conchae locis habendas. Domum ad diem 20 Decembris revertar. Non deest labor; hoc tamen nobis curandum maxime, ut recte, quod faciendum est, faciamus, Magistri sequentes exemplum, qui *bene omnia fecit*. » — At brevi mors eum arma manibus tenentem inque acie pignantem erat subito invasura, neque ipse tum Dominum suspicabatur se proxime vocaturum ad requiem sempiternam.

Die dominica, prima Decembris, in centro paroeciae Vallis missionis exercitia incipiebat, postquam eadem in vicinis paroeciis adiunctisque locis per duos menses integros tradiderat. Eo ipso die R. P. Rectori nuntium miserat et se et socium missionarium optima, uti valetudine. Vespertino vero tempore, cum ante exercitium in ecclesia habendum ad manducandum accumbit, minus valere se sentit, statimque cupientem surgere deficit animus. Pater eius socius et parochus iacentem levare et revocare studio et sollicitudine summa curant; sed frustra. Quadrante post bonus servus migravit in patriam, longi necnon fecundi apostolatus congruentem mercedem recepturus.

Mortis nuntio civitas Conchensis tota commoveri visa est. Multi Patrem amore plenum, consiliarium benignum atque prudentem, aut amicum saltem planxerunt addictissimum, cuius conspicuam virtutem magni, ut cum maxime, aestimabant. Rectores urbis per consilii municipalis praesidem tum ministro Galliae tum nostrae communitati memoriam voluerunt manifestam facere beneficiorum, quae defunctus Pater in populum universum effuderat.

Corpus eius mortuum feria II ingenti et pio Vallis incolarum comitatu Concham est delatum, ad cuius aditus civium innumera multitudo exspectabat.

Feria III et tertia die mensis, praesidente cum Capitulo cathedrali et Seminario Revmo Episcopo, exsequiae celebratae sunt.



Quanta florum ac luminum copia feretrum Patris Kaiser d. 3 Dec. 1929
in nostra ecclesia Conchensi decoratum sit.

Quo momento feretrum in mausoleo communitatis iamiam deponendum erat, Doctor Michael Cordero, e numero Conchensium optimatum, catholicus deputatus, qui ecclesiastica iura in concilio Reipublicae ad novam

Constitutionem decernendam coacto adeo fortiter vindicaverat, quique intimus et familiaris R. P. Kaiser semper extiterat, orationem habuit eloquentem, qua defuncti carissimi virtutes recensuit ac celebravit.

Spes nobis dulcis et alte reposita est, fratrem dilectissimum laborum mercedem aeternam iam possidere. Ipsum ideo simplici corde rogare non prohibemur, ut ita nos adiuvet, ut, ipsius exempla sectantes, divini Salvatoris vestigia firmo constantique gradu persequamur ad animas inferno rapiendas et tradendas Deo. R. I. P. (1)

(1) De morte Patris Kaiser plura videsis in primo fasciculo, pag. 57 sq. — Hac opportunitate data, Analectorum moderatori liceat gratum suum erga hunc confratrem animum palam pronuntiare. Etenim vix a. 1926 meam de Icône nostra sacrosancta monographiam evulgaveram, cum a R. P. Kaiser longam epistolam quinque foliorum recepi, insigne eius caritatis fraternae scientiaeque monumentum, in qua epistola de duplici argumento, de S. Luca pictore atque de Imaginis symbolismo, novos textus benigne obtulit. Quam bene in ipsum desideratissimum confratrem haec verba quadrant, quibus illas litteras diei 7 Nov. 1926 exorsus est: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet* (Is. 3, 10)!
